


Wistold, Georg Adam:  
Atlas Romanorum  
mythiales. 1749.





46

4840  
63 NVPTIIS AVSPICATISSIMIS  
VIRI  
CLARISSIMI, AMPLISSIMI, DOCTISSIMI,  
DOMINI  
JOANNIS GEBAVERI,

L. A. MAGISTRI, ET CELEBRIS LYCEI  
CRVCIANI, QVOD DRESDAE FLORET,  
COLLEGAE LONGE MERITISSIMI,

CVM  
VIRGINE LECTISSIMA  
JOANNA FRIDERICA  
ZAEHMINA

DRESDAE DIE XII. CALEND. JVN. CICICXLIX.  
FELICITER CELEBRATIS,  
RITVS ROMANORVM NVPTIALES

BREVISSIME EXPOSIT  
GEORGIVS ADAMVS VINOLDVS,  
C. A. L.

Ha 5801



DRESDAE, LITERIS HARPETERIANIS.





*Q. D. B. V.*

**N**nia licet vitia turpia, nefanda, pernitosia, ac odio persequenda sint maximo, nihilominus tamen nescio, an quoddam horum peius et angue caneque fugiendum sit magis, quam ingratus animus. Nam illud est, quodsi Cicero rem suo nomine dixerit, crimen, in quo vitio nihil mali non inest. Omne certe dicimus maledictum, quum ingratum nominamus hominem. Cui quaeso ignotum esse poterit, qui historiarum monumenta, tantummodo per transennam, quod aiunt, inspexerit, apud Persas, teste *Xenophonte*, iudicium institutum fuisse de eo crimine, vnde grauissima inter homines odia soleant existere, quum nemo propter ea in ius vocari soleat, nimirum de ingrato animo. Itaque si quem intellexerant, gratiam non retulisse, cum posset, in eum grauiter animadvertebant. Ingratos enim nulla Deorum reverentia, nulla parentum, patriae, amicorum cura tangi putabant. Num quid ergo scelestius, prauius, aut iniustius ingrato inueniri potest animo? Quis vero contraria ex parte non statim animaduertit, nil amabilius, nil pulchrius, nil suavis grato esse animo? Cicero, maximus ille totius terrarum orbis orator, et omnis eloquentiae facile princeps, vel hac de causa aeternam sui nominis meretur famam, quod grato animo adeo studuit, ut nihil supra, quandoquidem nil magis quam ingrati animi crimen horruerit, adeoque Ausonius iure pronunciauit, terram nihil deterius ingrato homine proferre posse. Propter quam causam etiam, vti mea quidem

A 2

**quidem**

quidem fert sensentia, veteres *Gratias* effinxerunt iuvenes, quoniam  
beneficiorum recordatio haud senescere debet. Hinc contra fas me  
haud facturum existimo, si cum Cicerone hanc virtutem omnium re-  
liquarum matrem dixerim. O quam paeclare agunt inter mortales,  
qui tam atrox nigrumque fugiunt vitium, ac nihil maiori habent curae,  
quam ut grati agnoscantur! Certe valet de ingrato illud *Horatii*:

Hic niger est, hunc tu, Romane, caueto.

Quum ergo tam paeclare senserint de huius virtutis pulcritudine  
ac paestantia, eamque habuerint in deliciis, quibus tamen verus Deus  
veraque religio erat incognita; num leuis ac ingratia animi labem ab-  
stergere abs me possem, si gratam TIBI meam in TE mentem hac  
data occasione non testaram facerem? Augerem profecto eorum gre-  
gem, nisi ambabus, si ita loqui fas est, arriperem oblatam occasionem,  
amoris in TE mei affectum testandi. Postquam enim, VIR CLARIS-  
SIME, ad meas peruenit aures, TE *hodierna die* socii foedus inire tori,  
nec volui, nec debui, sollemnem hunc TIBI diem, sine publico ob-  
seruantiae in TE meae signo praetermittere, et culpando praeterire si-  
lentio; sed diem TIBI festum, albo notandum lapillo existimau. Et  
enim doctrina, qua imbuisti me a prima aetate, postulat id ipsum, imo  
iubet. Accedit singularis, qua TE ornatum conspicio, felicitas, quae  
tanta sane est, ut publice TIBI omnino gratulandum sit de venusta,  
multisque condecorata virtutibus, *sponsa*. O terque quaterque bea-  
tum et felicem diem! quo, vii TIBI quidem videbatur, tam arduum,  
tam vexatum, atque tam insuperabile opus prospero confecisti omne.

Maxima omnino nos subiit admiratio, qui fieri potuerit, ut tan-  
tulus puer, qualis est idalius, virum prosternere valuerit. Cui potuisset  
venire in mentem, pueri sagittam plus quam aheneum pectus posse  
transfodere? Vides itaque, quod etiam astutissimum, ut ira loquar,  
possit amor decipere. Vocent alii Cupidinem coecum, meo quidem  
arbitrio Argus est oculatissimus; vocent alii puerum, meo quidem iu-  
dicio est Θεός μέγιστος καὶ παμβασίλευς, quem ipsa Venus, vti discimus  
ex Virgilio, magnam suam potentiam vocat. O Venus, parce, ac im-  
petum filii tui refrena! O desidiose puer, cur tua vrit fax, cur tunis  
figit

figit arcus amicos? Profecto acriter me ea facta torquent. Quin in difficilem incidimus nodum. Nam quid iustius? quid amabilius? quid suauius? quid denique optatius homini accidere potest, si verum fate-ri voluerimus, quam thalami sibi adiungere sociam? Quid vero con-traria ex parte videtur homini grauius? quid durius? quid molestius? quid acerbius? quam se matrimonii vinculis adstringere. Ast lusimus satis. Maxima sane laetitia perfundimur omnes, quum TE cum poë-ta audimus canentem:

Ite triumphales circum mea tempora lauri:

Vicimus, in nostro est sponsa petita sinu.

Recte sane et pulcre fecisti, quod mutaueris sententiam:

Alma Venus ne sera nimis respectet inertem,

Tondenti quando candida barba cader.

Vnusquisque profecto TIBI ominatur laetissimum matrimonium, quum tot annorum consulta et praemeditata electio, non nisi aliquid perfectum sponder, qua de re nil superest, quam ut hisce TVIS Nuptia-tibus confectis consiliis Deus adspiret, TVVMque vinculum, quo TE constricti, felix et fortunatum esse iubeat. De hoc vero amoris sym-bolo velim iudices, ut, licet desint vires, tamen laudes voluntatem, quod-que animum ad hoc scribendum adpulerim solummodo laetandi gra-tulandique gratia, meque probe memorem esse curtae supellectilis. An-tea vero omni, qua par est, obseruantia abs TE peto, omnique modo contendeo, ut, si cum Euandri matre locuturus sim, illud meae iuuentuti ignoscas, viribusque, quae, quam sint adhuc exiguae, et, quod mul-ta ferre recusent humeri probe scio, adscribas. Hinc hasce primitias de ritibus Romanorum nuptialibus, quorum duntaxat primas ducere li-neas animum induxi, omni omnino suavitate ac elegantia destitutas, serena ut accipias fronte, est quod vnicce abs TE peto.

Quodsi vetustissima historiarum monumenta euoluamus, et omnis antiquitatis perscrutemur penetralia, profecto animaduertemus, in ma-ximo semper honore matrimonium fuisse habitum. Imo constat, bar-barissimis, ut ita loquar, gentibus et ab omni humanitate remotis legi-

timum semper complacuisse matrimonium, qui que auctores, quos vocare solemus classicos, modo a limine salutauit, eum animaduertisse arbitror, Graecos pariter ac Romanos, religiosissimam coniugis ineundis tribuisse curam. Hinc diuinus ille *Plato* matrimonium saepenumero in scriptis suis vocat *iēpōs*, et sagaciores illi gentiles sempiternam coniugii felicitatem a Diis solis experendam docuerunt. Qua de re nullae nuptiae apud paganos siebant, et quidem maxime Romanos, teste *Iuuenale*, nisi adhibitis auspiciis, et sacris ante peractis, praesertim *Iunoni nuptiarum praesidi*. Hinc ante omnia sponsus et sponsa huic sacrificabant, quae etiam in tota Italia maximis adsciebatur honoribus. Id quod euincunt visitati Domiducae, Interduae, Vnxiae, Cinxiae, aliique tituli, tutelam nuptiarum indicantes. Iuuabit meminisse *Liuii Lib. XXIV. Cap. 3. hist. scribentis*: „Sex millia aberat, ab vrbe *Crotone* „scilicet, nobile templum, ipsa vrbe nobilius, *Laciniae Junonis*: sanctum „omnibus circa populis. *Lucus* ibi frequenti silua, et proceris abietis „arboreis seprus, laeta in medio pascua habuit, vbi omnis generis sa- „crum Deae pascebatur pecus sine vlo pastore..” *Junonem Feroniam* describit *Dionysius*, atque a Sabinis Latinisque praesertim cultam perhibet in *Antiquitat. Roman. Lib. III.* De Gabiorum tandem in Juno- nem veneratione canit *Virgil. Aen. VII. 682.*

arua Gabinae

Junonis, gelidumque Anienem et roscida riuis  
Hernica laxa colunt.

Maximam vero reverentiam illi Deae exhibuit orbis domina, vrbs Ro- mana. Testem instar omnium voco *Liuum*, qui Lib. V. Cap. XXI. et passim multam ac elegantem facit mentionem honoris illi praefiti. Notissimi sunt ex scriptoribus innumeris alii Dii Deaeque nuptiales, quos sibi finxit superstitionis antiquitas, quorum vero neque nomina singula, neque ferias omnes, neque sacra quaevis perscribere iam mihi propo- situm est, sed potiora solummodo persequar rituum momenta, quae prae caeteris mihi quidem digna videntur.

Quum itaque sponsalia celebrarentur, coram pontifice solempne fie- bat sacrificium, in quo farre vtebantur, decem praesentibus testibus,  
quo

quo peracto osculum sacrum a desponsatis mutuo accipiebatur, et mulier in manum viri conueniebat. Dein sponsus annulum pronubum quasi arrhae sive pignoris loco sponsae dabat, qui ritus ad nostra usque tempora delatus est. Nunc, quum tempus sponsam ducendi dominum venisset, sponsae virginea coma hasta recurua dirimebatur, corona redimiebatur, tunica recta induebatur, qualem prima Caecilia Caia ac Tanaquil texuerant, teste *Plinio* histor. Nat. VIII. 48. Cingulo laneo, quod vir in lecto soluebat, cingebatur. Quum virgo ita satis ornata esset, e gremio matris aut cuiusdam alias proximae cognatae abripiebatur, vel in memoriam raptus Sabinarum, de quo *Luius*, Lib. I. Cap. 9. §. 10. facit mentionem; vel verecundiae causa, ne ultro ac sua sponte nuptias ambire videretur. Hinc *Festus* ita: „Rapi simu-“ labatur virgo e gremio matris, aut, si non ea est, ex proxima necessi-“ tudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo,, cesserit.,“ Igitur hoc fuit factum ad exemplum primarum matrum, quae ludis sollemnibus raptae, et sic viris Romanis iunctae fuere. Id quod *Catullus* pro more acute expressit, canens:

Qui rapis teneram ad virum,  
Virginem, - - -

Praesertim illis ludis sollemnibus Talassio memoratu dignus est, etenim ab hoc Talassione vox nuptialis est facta, quem in coena nuptiali inuocabant, qui cum vxore sua multos per annos feliciter vitam transegerat. Tum in domum, tanquam coniugii mansionem ac domicilium, ducebatur, vnde Junoni nuptiarum praefidi, *Domiducae* nomen adhaesit. A quo ritu tritum illud proverbiu[m]: *Vxorem ducere, suam traxit originem, nempe, duo in vnam domum coire debebant, eodemque modo et Graeci ἀγεθα γυναις immutate dicunt.* Quae deducio non die sed noctu siebat, qua de re Catullus ita:

Vesper adeat, iuuenes consurgite, vesper olympos,  
Expectata diu vix tandem lumina tollit,  
Surgite, iam tempus, iam pingues linquere mensas,  
Jam veniet virgo etc.

Ego

Ego quidem autem existimo huius nocturnae deductionis hanc redi-  
di posse rationem, quod pudoris ergo ab hominum multitudine adspici  
noluerint, quod omnino liquet ex obnubilatione flammei, quo se  
marito virisque obnubebat sponsa. Tum nupta noua deducebatur a  
pueris, patrimis et matrimis, domum, quorum vnum face seu taeda  
pinea praelucebat, reliqui autem duo sponsam comitabantur. Qui  
paranymphi a Graecis Νυμφεύται καὶ πάροχος vocantur. Festus hac  
in re testis omni exceptione maior consentit, quando scribit: „Patri-  
mi ac marimi pueri tres adhibebantur in nuptiis, vnum qui faciem praef-  
ferebat, duo qui nubentem tenebant. Illae faces parabantur ad de-  
ducendam virginem ad maritum. Maxima contentio orta est harum  
taedarum causa, sunt enim quidam qui dicunt, illas taedas factas fuisse  
ex spina alba, cui sententiae eriam Pompeius Festus suum adiicit cal-  
colum, itemque Catullus, canens:

Pelle humum pedibus, manu  
Spineam quate taedam.

Hinc Plinius scribit: veteres credidisse, spinam facibus auspicatissi-  
mam fuisse, quae tamen deinde suo tempore ex corylo carpinoque  
factae fuere. Contraria ex parte sunt quam plurimi, qui nuptiales  
faces ex pinu confectas fuisse omni adseueratione contendunt, et pi-  
neam apud Catullum legendum censem, non spineam; et ratio omni-  
no postulat hanc lectionem, quippe inter omnes constat, pinum esse ar-  
borem resiniferam, minus vero spinam. Praecipue in eorum numero  
est Scaliger, qui iam olim hac ratione correxit Catullum, quid? quod  
Ouidius, ille maximus poeta, testatur, faces ex pinu factas fuisse, qui  
propterea ita cecinit:

Dum tamen haec fiunt, viduae cessate puellae,  
Exspectat puros pinea taeda dies.

Nos hanc rem in medio relinquimus, quoniam adhuc  
- - - - - sub iudice lis est,  
et multo imparem me existimo, cum tam magnis viris contendere.  
Sed pergit ad ancillas cum colo, fuso, et stamine in laboris futuri  
argu-

mentum, sponsam comitantes. Nam Romanorum vxores ad lanificium obligabantur, quid? quod ferunt, principes adeo feminas deditas ei fuisse, id quod discimus ex illo celeberrimo historiarum conditore *Liui Lib. I.* Lucretiam, inquiete, haud quaquam ut regias nubes, quas in coniuio luxuque cum aequalibus viderant tempus tenentes, sed nocre sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inuenierunt, ac *Suetonius* in vita Augusti Cap. LXXIII, nos docet, Augustum imperatorem haud temere alia ueste vsum fuisse, quam ab uxore, sorore, et filia, neptibusque confecta. Tum cognati, vicini, amici magno numero nupcialem pom-pam ducentes, sequebantur, aliquid vestis filium domum nupturae quisque ferentes. Puer vero impubes, *Camillus*, teste *Varrone*, de lingua Lat. VI. 3., nomine, agmen cladebat, vase in opero, quod *Cumera*, teste *Festo*, dicebatur, crepundia nascituro infantи portabat, quae erant ornamenta quaedam infantis collo appendi solita. Aedium fores postesque floribus, aulaeis, frondibusque erant ornatae. Tum sponsa nouas intrans aedes, laneis virtutis earum postes ornare, et adipe lupino, aut suillo, vti Plinius auctor est, vngere solebat, qua re fascinationem auerti credebant. Meo quidem iudicio, ut iam *Seruius* ad Virgil. Aen. IV. 466. recte annotauit, huic vnguendi ritui vocabulum vxor sine dubio suam debet originem, siquidem VXOR quasi VNXOR est dicta. Sponsa vero tollebatur super limina, nec ultra transibat, ut quasi inuita mariti domum ingredi, nec ad pudicitiae immutacionem conuolare videretur, vt *Lucanus Lib. II. 358.* hac de re cecinit.

Sponsae, postquam domum ingressa erat, tradebantur claves, quibus notabatur cura rei domesticae, vt optimus huius rei interpres Cicerō perhibet. Postea aqua et ignis ei offerebantur, quia ex humore et calore omnia gigni putabant, teste *Ouidio Lib. II. Fast. 792.*

An quod in his vitae causa est, hanc perdidit exsul,  
His noua sit coniux, haec duo magna putant?

B

Hisce omnibus peractis sponsae eiusque omnibus comitibus a sponso dabatur coena nuptialis, quae consuetudo vero multis in locis nostris temporibus immutata est, siquidem sponsa plerumque eiusmodi instituit conuiua. Hac in coena genio suo permaxime indulgebant hospites, etenim tibicinibus vtebantur, et *Plutarchus* testatur, conuias *Talassionem* vel *Talassum* inuocasse, vti Graeci *Hymenaeum* in memoriam *Talassii* cuiusdam Sabini, de quo iam supra diximus. Post ea, vti *Catullus* nos docet, nuces pueris spargebantur, cuius rei ratio verissima haec videtur, vti ita res ludicas se relinquere testarentur. Quum pueri illas collegissent nuces, carmina quaedam obsecna ac lasciuia decantare coeperunt, quae *Fescennina* fuerunt adpellata, ab urbe *Fescennina* primum allata, quae sita erat in Campania regione quadam *Ausoniensi*, et quidem inferiori parte, licet alii aliter sentiant.

Romani cum Iunonem, vti iam commemorauimus, matrimoniorum Deam ac praesidem crederent, omittenter profecto circumstantiam notatu dignissimam, nisi hoc loco mentionem iniicerem sacrificiorum, quae in his nuptrialibus sollemnitaribus adhibebantur. Nimirum, vti *Varro Lib. VI.* tradit, porca in illius honorem immolabatur, etiamque boues et agni ei fuere dicati, qui omnes in his sacris excoriabantur, et comburebantur. Quis tam rudis est rituum antiquorum, quin sciat, non solum *Liaium* duarum meminisse boum albarum, Iunoni mactatarum, sed et *Virgilium* hoc de ritu ita cecinisse:

- - - Mactant lectas de more bidentes,  
Legiferae Cereri, Phoeboque, Patrique Lyaeo,  
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae.

Vbi primis temporibus tota combusta fuit victima, postea vero prima-  
ria tantum litabantur hostiarum membra, exta nempe Diis sacra,  
reservatis ad conuiua reliquiis. Hic sane consideranda nobis venit  
consuetudo memoratu dignissima, vbi Junoni nuptiali *fel* cum caete-  
ris extis, non adolebatur, sed ad aram proiiciebatur. Quae vero ra-  
tio

tio sub hoc latet ritu? Haec sane. Quemadmodum bilis acerbatis atque irae est sedes, sic reiecto victimarum nuptialium felle, docuerunt, omnem a nouis nuptis abesse debere iracundiam, acerbitatem, atque excandescientiam. Nam indignatio et ira sunt omnino pestiferi illi fontes innumerarum altercationum, rixarum, et sexcentorum eiusmodi malorum, quae deinde omnem vitam reddunt funestissimam. Nonne igitur admonebatur hac re sponsus cum sponsa de maximo officio seruandi mutui amoris, quo neglecto infelicissimi existerent? Etenim quis ibit inficias, matrimonii concordiam producere praestantissima imo aurea commoda et emolumenta? Quare omnino Romani laude sua non sunt defraudandi, quod omni studio docere annisi sunt, ne discordia turbetur coniugium tranquillitas. Hoc cum fecerint Deorum cultores, quantam quaeso nos Saluatoris coelesti doctrina imbuti demus operam, ut omnes rixae et contentiones proscribantur?

O terque quaterque beatum TE, *felicissime sponsae*, qui domum duxisti sponsam, omnibus virtutibus ornatam, quae omne abiecit fel, priusquam limina TVA transit. Persentisces profecto omnes Veneres et suavitates matrimonii, a summo Numine his benignissime inditas vinculis. Sit ergo felix fausta fortunataque ductio sponsae TVAE domum! Et si qua mihi detur facultas, ex ritu antiquo isto lubenti animo VOBIS taeda praelucrerem ad aedes vestras. Vides sponsam TVAM coma in ordinem redacta bellissime ornatam, qua veteres genituram felicem ominabantur. Solue feliciter cingulum TVAE sponsae! Quumque Romanae sponsae praeferretur ab ancillis colus, nullum prorsus est dubium, quin TVA diligentissime omnibus rebus TVIS domesticis omni cura praefutura sit. Age, ergo, et da lubenti animo vxori TVAE claves aedium, cistarum et scriniorum, ut libertatem suam vxoriam felicissime auspicetur. Irrue in vxorios complexus, fer fructus amoris! Quantopere exultabis cum TIBI per domum lusitabunt parvuli illi Ascanii et Junonillae, pulcerrima thalami tui pignora. Propterea flore-

floreat tua salus, et in dies crescat. Faxit Deus ter optimus maximusque, ut nupra tua Penelopes vestigia imitetur, cuius pulcerrime facit mentionem Ouidius ille maximus poeta:

Penelope mansit, quamvis custode carebat,

Inter tot iuuenes intemerata procos.

Summum Numen omnia, quae VOBIS conueniunt, quaeque rebus  
VESTRIS sunt utilia, praefest! Largiatur VOBIS valetudinem incon-  
cussam, vitam longaeuam et successus ultra vota felices, auerruncet  
a VOBIS omnia mala, et coepitis VESTRIS semper et ubique gratia  
sua adspiret. Et inter has felicitates matrimonii foedera tan-  
dem coniuge cara frui laetus incipias.



Hla 5801

ULB Halle  
007 417 497

3



vdm8



### Farbkarte #13



S AVSPICATISSIMIS  
 V I R I  
 II, AMPLISSIMI, DOCTISSIMI,  
 O M I N I  
 NIS GEBÄVERI,  
 STRI, ET CELEBRIS LYCEI  
 II, QVOD DRESDAE FLORET,  
 GAE LONGE MERITISSIMI,  
 C V M  
 INE LECTISSIMA  
 IA FRIDERICA  
 AEHMINA  
 IE XIII, CALEND. JVN. CICDCCXLIX.  
 ELICITER CELEBRATIS,  
 MANORVM NVPTIALES  
 BREVISSIME EXPONIT  
 VS ADAMVS VINOLDVS,  
 C. A. L.  
  
 E, LITERIS HARPETERIANIS.